



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

12 Idem. Idem, quod supra num. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

canonibus, sacroque concil. Trident. ut in cap. 11. sess. 22. de reformat. & Bull. Cœn. Domini isflictam, de qua pluribus in locis egimus, incurrunt.

10 Propter Pharaonis peccata † omnibus est notum, Ranas, Cyniphes, Cynomias, & omne genus mulcarum totam Aegyptum afflixisse, & in ipsam Pharaonis regiam, & ejus servos penetrasse, ex quibus tota terra Aegypti corrupta fuit. Exod. c. 8. mortuaque fuere omnia Aegypti animalia; Israelis verò animalia fuerunt intacta, ac illæsa: Pluitque Dominus grandinem super terram Aegypti, & grando, & 12 ignis mista pariter ferebantur, percussit grando, & omne lignum confregit: tantum in terra Gessen, ubi morabantur filij Israel, grando non cecidit: *ibid. Exod. cap. 9.* cum autem adhuc induratum esset cor Pharaonis, ventus vrens levavit locustas, quæ ascenderunt super universam terram Aegypti, & sederunt incunctis finibus Aegyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerunt, nec postea futurae sunt: operueruntque universam superficiem terræ, vastantes omnia; Devorata est igitur herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit. quæ grando dimiserat, nihilque omnino vrens relictum est in lignis, & in herbis terra in cuncta Aegypto, ut eodem Exod. cap. 10. & Psalm. 77. ver. & dedit erugini cum seqq.

11 Legitur etiam † quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias, & facias omnia mandata eius, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in civitate; maledictus in agro; maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquæ tuæ, male-

dictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta bouum tuorum, & greges ovium tuarum: maledictus eris ingrediens; maledictus eris egrediens: Mittet Dominus super te famem, & esuriem, & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies, donec conterat te, & perdat velociter, propter adinventiones tuas pessimas, in quibus reliquisti me. Deuter. cap. 28. & 32. Levit. c. 26. ver. quod si non audieritis. ferm. Thren. cap. 2. & dicto cap. revertimini, 16. *quæst. ubi Ioan. de Turrecrem. num. 22.*

Hodie verò, † quia hominum malitia valdè crevit, & crescit in dies super terram, præter super expressas maledictiones, fruges, quas non absument locustæ, bruchi, & alia Dei vindicis animalia, ac siccitatis immoderatæ pluvix, & urentes venti non destruunt (quæ tamen etiam nunc plerumque experimur) adurit pruina, evertit grando, & contuadit, ac repentina rubigo disperdit. Non hic commemoro quæ adunca latronum manus abipiat, quæ inopina incendii flamma devoret, in mandatio aquarum absorbeat, & cœlestia fluminum tela comminuant. Ad hæc, si quæ supersunt, executores, & exactores, quos vulgus commissarios appellat, in expletæ voraginis homines, exhauriunt; populus autem, quem pacis optatæ tempore hostis gladius non devorat, interdum peste, aliisque morbis infestatur, & incommodis, quæ à Deo mittuntur, cum omnia per ipsum facta sint, & sine ipso factum sit nihil. 10. cap. 1.

12 Primus omnium parens peccavit, innocens terra maledicitur: Eam enim Deus, nisi assiduo hominis labore excolatur, spinas, & tribulos germinare iussit, non idèò